

sto nomine cum cæteris anathemate percussum fuisse, in ea Agathonis epistola; quod subinde nescio quo pietatis officio a quopiam expunctum sit: vel quod certius longe est, Honorium ex communione causæ, generali cum cæteris damnatione petatum fuisse.

Id etiam ex actione 13. eiusdem sextæ Synodi comperatum est: ubi cum sententiam in Sergium, Cyrum, Pyrrhum, Paulum, Petrum, & Theodorum ab Agathone ea in epistola latam memorassent Synodi patres, iuoque calculo comprobassent, Honorium consequenter eodem telo petatum colligunt. *Cum iis vero, inquit, simul proiici a Sancta Dei Catholica ecclesia, simulque anathematizari prævidimus & Honorium, qui fuerat episcopus antiquæ Romæ, eo quod invenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus eius mentem secutus est, & impia dogmata confirmavit.*

Adstipulatur Adrianus secundus Romanus Pontifex in epistola lecta & approbata in octava Synodo, ubi postquam Honorium a sexta Synodo damnatum memoravit, ob iniectam hæreseos accusationem, subiungit: *Quamvis nec ibi, nec Patriarcharum, nec cæterorum Antistitum cuiuspiam de eo fas fuerit proferendi sententiam, nisi eiusdem primæ sedis pontificis consensus præcessisset auctoritas.* Quibus verbis significat, Honorium ab Agathone primam sedem obtinente fuisse prædamnatum.

Cæterum, an Honorius, uti privata persona, re ipsa de fide duplicis in Christo voluntatis male senserit; atque idcirco Hæreticus fuerit, quod Canus existimat: an œconomia & conniventia in Monothelitas duntaxat peccaverit, atque idcirco uti fautor erroris anathemate petitus sit, quod alii plerique sentiunt, opinionis est, Bellarmino teste, libr. 4. de Romano pontifice, cap. 11. in responsione ad 4. nullaque idcirco lis in virum eruditum movenda est.

Quod vero suffugium quæerunt laudati censores, Baronius scilicet, Bellarminus, & Possevinus, ut Honorium quacunque vel asserti erroris, vel favoris errantibus impenti labe liberent, vitiata scilicet esse sextæ Synodi acta a Theodoro viro hæretico; pie quidem excogitatum est,

at

at non ita certo. Quamquam hic instituti nostri non est, illud expendere. Hoc dicam unum: si sextæ Synodi acta, ubi inter Monothelitas notatur Honorius, ab aliquo nebulone, qui venerandum pontificis nomen intulerit, vitiata sunt: vitiata quoque dicenda sunt acta Synodi septimæ & octavæ, ubi eiusdem Honorii nomen cæteris Monothelitis annumeratur; vitiata quoque epistola Leonis secundi, ad Constantium imperatorem, quæ sextæ Synodi acta confirmavit. Nam & illic perinde Honorius anathemate petitur. Sed ab invidiosa, nostroque instituto inutili quæstione temperandum.

CAPVT VII.

Canis sententia de sacramenti Matrimonii ministro ab emulorum censuris eximitur.

Displicet non paucis Melchioris Canis sententia de Sacramento Matrimonii ministro, quem usque adeo presbyterum esse docet libr. 8. de Locis, cap. 5. ut matrimonium stare quidem velit ratum, ac firmum titulo contractus, non tamen titulo sacramenti, dum a ministro Ecclesiastico sacris, ac solemnibus verbis minime celebratur. Similiter & verba, quibus consensum mutuum coniuges expriment, formam esse vult contractus coniugalis, non itidem sacramenti; personalique contrahentes ministros esse fatetur contractus civilis, non sacramenti coniugii.

Hanc opinionem uti *novam & singularem* sugillat Bellarminus, libr. 1. de Matrimonio, cap. 6. & sequentibus; quin etiam addit, Canum, dum totis viribus probare conatur Matrimonium sine forma verborum a ministro Ecclesiastico prolata celebratum non esse Sacramentum, illud etiam evincere, quantum in se est, nullum re vera esse in ecclesia matrimonii sacramentum. Non desunt & alii, qui suis præiudiciis occupati in eandem eruditi vi-

ri

ri sententiam liberius obloquantur, variisque pro arbitrio censuris afficiant.

Non est hic instituti nostri Theologicas quæstiones integras texere, dum observationes dumtaxat apologeticas damus. Nec idcirco officii ratio postulat, ut, quæ pro tuenda illa Cani sententia ferri possunt, summo studio congeramus. Id nobis ad præsens satis est, si hanc eruditi viri doctrinam nec singularem, nec novam probemus; & cum novatorum errore, qui Matrimonii sacramentum ab ecclesia pellunt, nihil habere commune demonstramus.

Novam esse profecto non dicet, quisquis eam a Guillelmo Parisiensi traditam noverit, libr. de Sacramentis, tract. de Matrimonio, cap. 9. quæst. 1. & cap. 1. de Baptismo: a Petro Paludano in 4. Sentent. dist. 5. quæst. 2. a Simone Vigorio, Theologo Parisiensi, in suffragio Tridenti dato, cuius meminit Cardinalis Pallavicinus, libr. 22. historię, cap. 9. num. 5. Addam etiam a Divo Thoma (etsi illum suas in partes vel invitum ceteri trahant) in 4. Sentent. dist. 1. quæst. 2. art. 3. ad 5. ubi inquit: *Matrimonium secundum quod est in officium, & pœnitentia secundum quod est virtus, non habent aliquam formam verborum; sed secundum quod utrumque est sacramentum, in dispensatione ministrorum ecclesię consistens, utrumque habet aliqua verba, sicut in matrimonio sunt verba experimentia consensus, & iterum benedictiones ab ecclesia institutę; In pœnitentia autem est absolutio sacerdotis, verbo tenus facta.* Ac tandem a Synodi Coloniensis anno 1536. celebratę patribus, in Enchiridio Christianę institutionis: *Videmus, inquit, & in veteri lege quosdam fuisse, qui Dei vice coniuges iungerent. Quanto ergo magis putandum est, in nova lege sacerdotes, qui legatione pro Deo funguntur, legitimos huius sacramenti ministros esse? In lege quidem veteri pater, aut, defuncto patre, proximus puellę agnatus, seu tutor Dei loco coniuges iungebat: ad eundem modum ab apostolorum temporibus, matrimonii sacramentum in facie ecclesię celebrandum est, ministris sacerdotibus Christi.*

Quę omnia, ut a reliquis temperem, nec novam, nec
sin-

singularem in Melchiore Cano doctrinam illam fuisse, plus satis ostendunt. Sed & qui patronos præeuntes habuit, sequaces, eosque magni neminis adstipulatores invenit: Dominicum Bañez, in prima parte Divi Thomę, quæst. 1. art. 8. ubi contrariam magistro suo Melchiori Cano sententiam a multis improbari ait, illiusque opinionem a multis iam absque ulla temeritate defendi: Franciscum Cardinalem Toletum, libr. 7. Instit. diserte statuentem, *efficientem causam matrimonii esse ipsos contrabentes, in quantum est contractus quidam; at vero, ut sacramentum, Deum esse causam principalem, & ministrum esse causam instrumentalem, sicut in aliis sacramentis:* Guillelmum Estium, in 4. sentent. dist. 26. §. 10. & sequentibus: Franciscum Sylvium, in supplemento, quæst. 42. art. 1. quæstio 1. Ioannem Mariam Scribonium, disp. 9. de Matrimonio: Vincentium Contensonium, libr. 11. Theologię mentis, & cordis, part. 4. dist. 4. cap. 1. de sacramento Matrimonii: Combesium ad orationem Damasceni in Constantinum Caballinum, num. 8. Gasparem Iueninum in Commentario historico dogmatico de sacramentis, dissert. 12. de Matrimonio, quæst. 3. Claudium Frassevium in Scoto Academico, tract. 3. de Matrimonio, disp. ultim. art. 1. quæst. 3. Natalem Alexandrum in Theologia Dogmatica & Morali, libr. 2. de Sacramento Matrimonii, art. 5. §. 2. Apud quos quidem magni nominis Theologos, quisquis Melchioris Cani, quam tuentur, sententię fundamenta ex patribus, atque conciliis petita legere voluerit, nimiam profecto in ea vellicanda Bellarmini, aliorumque licentiam deprehendat. Sed & Gaspar Iueninus supra laudatus Dissertationem gallicam edidit in huius Melchioris Cani sententię defensionem, ubi permultos huius ævi, qui eam tuentur, scriptores percontet; ut obviam iret obtrectationibus nonnullorum, qui singularitatis insimulabant propositionem, in suo oratorii Collegio Bituntino Granvelano, de hac materia, publicis thesibus propugnatam. Illud etiam notissimum, sententiam hanc frequentius in Academia Parisiensi defendi, nec ab ea abhorrere Romanos publicarum illic conclusionum censores; quibus probantibus Cani sententiam defendi quandoque publice, &

vidi ipse Romę dum degerem, & ab aliis, ex quo discessi, non semel accepi.

Tantum vero abest, ut hæc tot virorum eruditorum doctrina Neotericis sacramentum Matrimonii de medio tolerantibus faveat, ut potius ecclesię fidem multo feliciter in tuto ponat, dum quę merę Theologos inter opinionis sunt, a fidei summa secernit; ut, illis in doctorum arbitrio relictis, hoc unum, quod religionis est, adversus hæreticos tueatur. Et quidem matrimonium ecclesiastico ritu celebratum sacramentum esse, fides docet. Hoc adversus Lutheranos & Calvinistas summo studio tuendum, propugnandumque est. An autem sacro ritu semoto, nullo sacerdotis accedente ministerio, ex solo coniugum assensu sacramentum olim fuerit: an steterit alias fixum, ratumque, ratione contractus, non servata dignitate sacramenti, ubi sine ministro sacerdote ducebatur: an nunc etiam ministri vices obeant ambo coniuges, non sacerdos: an consensus coniugum acceptus forma sit, an sacerdotis sacra verba: Theologorum sunt opiniones, quas a fidei capite secernere necesse est, ne dum hæc promiscue confundimus, tanto imbecillius ecclesię causam videamur agere, quanto levius molliusque privatę hominum opiniones defenduntur. Prudentius ergo, ac longe feliciter ecclesię causam Bellarminus egisset, si, Canum imitatus, quę fidei sunt, a scholasticis disceptationibus discrevisset; & in hoc unum intentus, quod fidei caput est, peregrinas quęstiones, quę causam multo plus implicant, hæreticisque cavillandi aditum præbent a polemice quęstionibus longius amandasset. Etenim, ut prudenter Estius observat, statuta Cani sententia, multa vitantur paradoxa, quę contra hæreticos ex traditione tueri difficile est, ut quod huius sacramenti minister non sit unus, sed duo; non ordinati, sed laici, vir, & mulier: quod iidem suscipientes sint & conferentes; quod forma consistat sine verbis: quod nullam contineat ceremoniam particularem. Quę omnia ad scholasticos ablegare satius est, quam uti fidei dogmata, tueri velle.

Fuit hoc unum Melchioris Cani institutum, dum de Matrimonii ministro obiter dixit. *Primum*, inquit, opi-

nio-

nionem a dogmate secerni, & internosci volumus; deinde Theologos admoneri, ne affectu animi, qui plerumque brevis est, & ad tempus, sed maturo iudicio de rebus hisce pronuntient, in quibus præsertim non ita facile expediri potest, ad fidem pertineant, nec ne: id ago, scholasticas opiniones oportere a decretis seiungere, fideique quęstiones ab iis, quę modo huc, modo illuc transferuntur, & sine pietatis iactura possunt in utramque partem disputari. Decreta arcte tenere debemus, accurateque defendere, opiniones non item; sed si non cum Academię, at cum christianiæ modestiæ temperamento: Nego enim scholæ certo constantique decreto finitum, Matrimonium sine ecclesię ministro contractum esse vere, & proprie dictum sacramentum; nego eam rem ad fidem & religionem attinere; nego omnes scholæ Theologos id asseruisse. Quę certe Cani doctrina a nullo prudenti, sanoque Theologo damnari potest.

Quod vero ex Cani opinione derivatur incommo- dum, ut idcirco ab æmulis cauterio digna iudicetur? si ita est, inquit illi, matrimonia clandestina, quę ante concilium Tridentinum frequentiora erant, sacramenti dignitate caruerunt; cum tamen sacra Synodus de illis ita pronunciaverit sess. 24. cap. 1. de Reformatione: *Tamet si dubitandum non est, clandestina matrimonia libero contractantium consensu facta rata, & vera esse matrimonia, quando diu ecclesia ea irrita non fecit: & proinde iure damnandi sunt illi, & eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera & rata esse negant.* Egregie scilicet ac solerter. Age vero demus, illatam consecutionem veram esse, nihil tamen ex Cani sententia contra Tridentinam Synodum sequeretur, quę matrimonia clandestina rata quidem, ac vera matrimonia fuisse definit, quod & Canus contendit; sed illis dignitatem sacramenti non arrogavit. Quin & illam Tridentinorum patrum prudentiam fuisse monet Cardinalis Pallavicinus, in historia, libr. 23. cap. 9. ut ab illa controversia scholæ consulto abstinerent; ne quod liberę opinionis est, in fidei dogma converterent: Omitto, inquit ille, nunquam declarasse concilium, matrimonia clandestina fuisse sacramenta: adeo ut quidam graves Theologi

id negent. Quos inter graves Theologos Melchiorum Canum dubio procul intelligi vult, qui hanc suam opinionem ab obtrectatoribus hodiernis intempestive vellicatam, coram sacro concilio impune, ne dicam laudabiliter, defendit.

Sed & perfracte nego consecutionem illam ita generatim elicitam, (matrimonia scilicet clandestina ante Tridentinam Synodum contracta fuisse irrita) ex Cani sententia fluere. Quæ enim ante concilium vocabantur clandestina matrimonia, nec ita frequentia erant, ut vulgus putat; nec semper absente presbytero, qui ministerium exhiberet, contrahebantur; sed vel absente paroco, vel sine solemnitatibus, testibusque ducebantur: horum enim defectu, clandestina quoque vocari, & esse poterant.

CAPVT VIII.

Pia Melchioris Cani sententia de Christi Domini tristitia in passione, a reprehensorum morsibus vindicatur.

SI qua unquam virorum Theologorum censuras passa est Melchioris Cani sententia, ea profecto est, quam de tristitia Christi ad crucis sacrificium properantis docet libr. 12. de Locis, cap. 13. sub finem. Quæstionem a Theologis tritam movet, qui fieri potuerit, ut Christus cum beatus re ipsa fuerit, atque idcirco infinito ex Dei visione profluente gaudio perfusus, summa tristitia sit affectus, ut diceret, *tristis est anima mea usque ad mortem*, Matth. 26. Duas in primis celebriorum Theologorum difficillimi nodi solutiones affert; quasque secum difficultates involvant, pro more differit: illorum nempe, qui vel Christum secundum inferiorem duntaxat animæ partem tristatum aiunt, dum sacro illo in superiori animæ parte gaudio potiretur, vel qui summam tristitiam cum summo gaudio, ex divino miraculo, una eademque parte stare posse profitentur. Tum demum (quod multi ægris auribus ex-

excipiunt) propugnatam a se quondam, cum iuuenis esset, enodandæ salebrosæ difficultatis viam exponit. *Sed & olim iuuenis, inquit, ut hinc iam nos demum extricemus, coram celebri Theologorum concione diximus, quod sicut per totam vitam Dominus gloriam animæ quasi premebat, ne in corpus efflueret; sic saltem in cruce retinuit gaudium, quod suapte natura ex clara Dei notitia prodiret. Gaudium fateor ex Deo viso in voluntate necessario nasci, non secus atque ex sole lumen, calorem ex igne. Sed retraxit aliquando sol radios suos, & ne calefaceret, comprehensus est etiam ignis. Quare nihil mirum videri cuiquam debet, si in hominum redemptione per hominis unius dolores explenda, voluptas omnis reprimeretur, quam alias ex visione Dei proficisci naturæ ratio demonstrat.* Quod ille subinde paucis adstruit, ac demum ita colligit, pietatis suæ sensus in hanc suam ultimam assertionem explicans: *Certe sive primo, sive secundo, sive tertio modo quæstionem solvas, miraculum facis. Sed & hoc postremum eo plausibilius, quo maiores in nobis igniculos excitat tum pœnitentiæ, tum amoris, tum gratitudinis.*

Mirum quantum in piam illam assertionem nonnulli Theologi inveantur, quos vellem non adeo in ferendis censuris fuisse præcipites. Hanc Henricus *hæreticam* dicit, quodlib. 8. quæst. 7. Hanc Suarez 3. part. disp. 38. sect. 3. & Vazquez 3. part. disp. 73. *temerariam* vocant: Hanc Ioannes de Lugo, disp. 22. de Incarnatione sect. 2. *velut a Theologis constanter reiectam* insectatur. Aliique bene multi, quos numerare longum esset, variis pro arbitrio censuris inurunt. Sic sua quemque præiudicia occupant; quæque ipsi non probant, censoria virga, quasi ex tenaculo consulto, configunt.

Itane vero diris devovenda sententia hæc? Meo quidem iudicio esset etiam vir maximus venia aliqua dignus si quid forte novi procudisset, ex nimio pietatis sensu, quæ severiores Theologiæ leges quandoque non consulit; minusque accuratam enodandæ difficultatis viam aperuisset, ex nimio, quo fervebat, commendandæ Christi erga nos charitatis deliderio. Sed nec eget ille venia, imo laude plurima dignus est: satiusque sibi ii Theologi consu-

luisent, si a censuris nulla, ut arbitror, ratione fultis abstinissent. Sua quippe probabilitate frui Cani sententiam, multa probant.

Suffragatur in primis Divus Ambrosius libr. 10. in Lucam, ad illa verba, *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste*; quem non tam exprelsisse, quam exscripsisse Canus visus est. Ergo pro me doluit Christus, qui pro se nihil habuit quod doleret: & sequestrata delectatione divinitatis aeternae, tædio meae infirmitatis afficitur. Sequestrationem illam delectationis divinitatis aeternae passionis tempore occurrentem, quid commodius, quam gaudii ex divina visione profluentis repressionem a Cano assertam intelligamus?

Hanc Divi Ambrosii mentem esse, docet societatis scriptor longe doctissimus Alphonsus Salmeron, qui & Cani doctrinam hac parte summopere commendat, uti solvendo nodo intricatissimo opportunam, tom. 10. tract. 11. de tristitia animae Christi. Secundum sententiam beati Ambrosii, de qua superius (sequestrata delectatione divinitatis aeternae) & quorundam aliorum, qui eum in hoc secuti videntur. Christus sponte privavit se consolatione ex visione Dei resultante, quo sic magis peccato satisfacere, & tristitia convenienti delectationem nostram in illo habitam expungeret: Et hoc usque ad mortem. Nam propterea suscitatus dixit, *Notas mihi fecisti vias vitae, adimplebis me letitia cum vultu tuo: delectationes tuae in dextera tua usque in finem.* Nam quemadmodum, dum vixit, suspendit animae gloriam in corpore redundantem, ut posset pro nobis & pati & mori; ita ad tempus per aliquot horas coepit tristari, id est, suspendere delectationem animae, quae ex visione Dei resultabat, ut posset pro nobis supremum & timoris, & tristitiae sensum habere: quod ingens erga nos charitatis argumentum fuit. Nam difficile capere possumus, quomodo summus dolor existeret cum summo eius gaudio. Nam etsi una manus possit in summo esse frigida, posita in nivibus; altera in summo calida, posita in igne: tamen quod una & eadem manus simul sit frigidissima, & simul calidissima, vix intelligimus. Quamvis dici possit, ut alias etiam tetigi, aliam esse rationem, propterea quod eadem voluntas non secundum
idem

idem fuit summe beata, & summe tristis, sed secundum diversas animae rationes, nimirum superiorem, & inferiorem.

Accedit Maldonatus eiusdem societatis Theologus non ignobilis, & Scripturarum interpres celeberrimus, in caput 26. Matth., ad hunc versiculum, *coepit contristari, & maestus esse.* Vbi quaestionem movet, qui fieri potuerit, ut Christus, cum beatus fuerit, tristitiam habuerit? Reiiicit inprimis eorum opinionem, qui illum secundum inferiorem tantum animae partem tritatum aiunt: tum subdit, in Cani sententiam descendens: *Melius igitur alii, dispensatione quadam factum fuisse dicunt, ut, cum Christus beatus esset, tristitiam etiam in superiorem animae partem admiserit.* Nam sicut beatitudinem suam cohibere potuit, ne deflueret in corpus, ut pati posset; ita premere eam potuit, & quodammodo occultare, ut ad tempus tristitiae cederet, quae una passionis suae pars futura erat.

Explicatius vero Gregorius de Valentia, cum officiosa quoque Melchioris Cani commendatione, 3. part. quaest. 9. punct. 2. *Quomodo vero Christus, etsi fuerit secundum animam beatus, potuerit nihilominus, non solum secundum corpus pati, sed etiam secundum animam tristari, & angere,* explicat bene Canus; quia scilicet divinitus passionis tempore factum est, ut ex visione beatifica ne ad animam quidem aliqua delectatio manarit. Quamquam sunt etiam qui sentiant, potuisse cum summa delectatione orta ex beatitudine consistere maximum dolorem, & tristitiam, respectu aliorum obiectorum. Sed illa expositio Cani consonat magis cum magnitudine, & acerbitate passionis, quam existimamus fuisse in Christo; & sic demum melius intelligitur, Christum in passione etiam a patre suo fuisse derelictum, per hoc quod his prohibuerit redundantiam illam beatificae delectationis; sicut ipse Dominus in cruce clamavit, *Deus Deus meus, ut quid me dereliquisti?* Matth. 27.

Hæc si Suarez, si Vazquez, si Lugo attentius perpendissent sodalium suorum egregia testimonia, non ita forsan incaute Cani sententiam censuris proscidissent, & a Theologorum nemine propugnatam affirmassent.

Sed & numquid, vel ob id maxime, probanda venit
ga Cani sententia, quod faciliorem nobis viam sternat,
qua

qua nonnullas veterum patrum duriores loquendi formulas exponamus, qui de Christi derelictione differentes ad illa evangelii verba, *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* Divinitatem a Christo brevi aliquo tempore recessisse volunt, & ab illo aliquandiu fuisse separatam?

Sic Divus Ambrosius, libr. 10. in Lucam, hæc evangelistæ verba recolens, *clamans voce magna emisit spiritum*, in hunc sensum interpretatur. *Evidens est manifestatio contestantis Dei secessionem divinitatis, & corporis: Sic enim habes, clamavit Iesus voce magna dicens: Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? Clamavit homo separatione divinitatis moriturus.*

Sic Divus Hilarius commentario in Matthæum, cap. 3. *clamor ad Deum, corporis vox est, recedentis a se verbi Dei contestata disidium.*

Sic S. Epiphanius, hæresi 69. num. 62. hæc Christi spiritum emittentis verba perpendens, *Deus meus, quare me dereliquisti?* Sic habet: *videns divinitatem iam in procinctu quodam esse, ut sanctum corpus desereret, ex ipsius hominis Dominici persona, hoc est, humanæ naturæ a Verbo susceptæ: vox ad coniunctam divinitatem illam est edita, Deus Deus meus, &c.*

Sic Leporius in libello emendationis: *Divinitas cum unita sibi anima: non crucifixum hominem reliquit in pœnam, sed exanimam carnem reliquit ad tempus.*

Certe iis patrum sententiis explicandis impense favet Cæsi sententia; secundum quam divinitatis separationem, ac recessionem ab iis insinuatam commode interpretabimur, *sequestrationem delectationis divinitatis* (ut fuimet interpretis est Divus Ambrosius) gaudiique ex divina visione orituri repressionem, ac cessationem; sic ut nihil aliud patres illi, aliique nonnulli, quos recensere facile fuerit, sensitisse hac in parte videantur, quam quod Canus explicatius distinctiusque defendit.

Haud me fugit, magistrum Sententiarum, libr. 3. dist. 21. §. 1. aliam laudatorum Patrum interpretationem excogitasse: *Divinitatem scilicet separasse se foris, ut non adesset ad defensionem, sed non defuisse intus ad unionem.*

Sed

Sed etsi non contemnenda illa expositio videatur, opportunior forte ex Cæsi sensu petita interpretatio censetur. Nam priori modo exposita separatio divinitatis, de qua laudati patres, non ad mortis tantum agonem referenda foret, sed ad totum mortalis vitæ tempus; quo certe divinitas separata est foris, ut non adesset ad defensionem, iuxta illud Augustini sermone nunc 77. num. 11. *Deus est; & fit homo: seponit divinitatem, id est, quodammodo sequestrat, hoc est, occultat quod suum erat, apparet quod acceperat.* Speciale vero extremo agoni fuisse videtur, ut etiam divinitas separata sit intus iuxta Cæsi sensum, interioris scilicet gaudii repressione, non unionis hypostaticæ solutione.

Ieiunum porro est, quod in oppositum oblici solet. Primo, delectationem a Dei fruitione seiungi non posse; quia fieri nequit, ut summum bonum sine delectatione videatur. Secundo, minus congruere, ut Christus aliqua beatitudinis perfectione defraudetur; alias Sanctis Deo in cælo fruuntibus fuisset inferior. Tertio, eadem libertate fingi posse, Christum interdum visione beata fuisse privatum. Quarto, pari iure statuendum fuisse, Christum toto pene vitæ tempore gaudio illo ex divina visione proficiente destitutum fuisse: cum frequentissime tristatus sit, tum in peccata hominum intuens, tum mortem suam uti præsentem animo revolvens.

Primum negatur omnino, si Dei præsertim potestas attenditur. Non enim gaudium fruitio ipsa est, sed fruitionis quietæ confectarium. Hinc fruitur homo arboris suæ fructibus, suisque divitiis avarus, cum etiam per morbum voluptatem ex eis nullam capit.

Secundum nihil movet. Nemo enim defraudatur volens: Id porro voluisse Christum, contendit Canus, in maioris charitatis argumentum; alias & gloria corporis toto vitæ tempore concedenda illi fuisset, ne & illo iure defraudaretur; & hac parte Sanctis post resurrectionem Deo fruuntibus esset inferior. At sunt hæc fuitiles argutiæ. Semotis quippe quibusvis illis beatitudinis confectariis, Sanctis omnibus præstabat vel hoc solo titulo Deus ho-

Tom. I.

b

mo

mo, quod Deum præ illis altiori longe modo cerneret eius anima, persona comprehenderet.

Tertium nihilo plus officit. Visio etenim essentia beatitudinis est, delectatio confectarium. Christi vero animam beatam fuisse, inconcussum dogma est.

Quartum negatur, ob facti discrimen longe maximum. Maior quippe tristitia fuit imminente morte, quam fuerit ante; minusque idcirco cum summo gaudio componenda. Rursum, quod hic maxime notatum velim, non ob id solum gaudium ex visione beata profluens, Passionis tempore repressum dicit Canus noster, quasi absoluta ratione, Deoque ita volente, cum summa tristitia sociari non posset; sed ut suam in nos Charitatem miris omnino modis ostenderet. Hæc vero in extremo mortalis vitæ sacrificio maxime comprobata fuit: nec quod ea extrema mortalis vitæ periodo ingenti miraculo factum est, ad totam retroactam Christi vitam referri propterea potest.

CAPVT IX.

Melchior Canus Divo Stephano Protomartyri nequaquam iniurius ostenditur.

Minus nonnullis arridet Cani responsio, qua gravissimam difficultatem, ex Stephani Protomartyris concione petitam edidit libr. 2. de Locis cap. ultimo. Obiectæ difficultatis summa hæc erat. Genesis 23. versu 16. legimus Abraham locum sepulchri emisse quadringentis siclis argenti ab Ephron filio Seor: At rursus Genesis 33. versu 19. Iacob agri partem, in qua fixerat tentoria, emisit centum agnis a filiis Hemor patris Sichem: Stephanus vero protomartyr concionem ad Iudeos habens, a Luca relatam Actorum 7. narrat versu 16. Iacob, & filios eius in Ægypto defunctos, translatos esse in Sichem, & positos esse in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filiis Sichem. Quo loco duplex videtur aberratio

tio contineri: tum quod Abraham non emisset a filiis Hemor, sed ab Ephron filio Seor: Tum quod Hemor, a quo verius emerat Iacob, non fuerit filius Sichem, sed pater.

Eo ut se nodo Canus expediat, cum varias interpretationum expositiones attulisset, quibus recitata auctorum verba conciliare nituntur; easque partim coactas, partim solvendo nodo impares observasset; Bedæ tandem, & Rabbani solutionem amplectitur; qua nempe contendunt, Stephano id, quod vulgo fere solet, accidisse, ut in longa videlicet narratione, eademque præsertim subita, confuderit nonnulla, & miscuerit: in quibusdam etiam memoria lapsus fuerit, in iis dumtaxat, quæ ad rem parum, aut nihil omnino attinent. Nam causæ, de qua potissimum agebatur, erat intentus. Lucas vero historiæ veritatem retinere volens, ne iota quidem immutavit, sed rem, ut a Stephano narrata erat, exposuit.

Canis sententiam, quidquid æmuli cavillentur, ipsa in primis argumenti necessitas probabilem facit. Quandoquidem vix alia, quæ planæ obiectæ difficultati respondeat, expositio suppetit. Probabilitatem auget Bedæ, ac Rabbani mediæ ætatis scriptorum auctoritas, quos duces secutus est Canus. Venerabilis Bedæ, quem Rabbanus exscripsit, hæc verba sunt in commentariis ad eum scripturæ locum: Docet Genesis, Abraham ab Ephron filio Seor Hethæi in Cariatharbe locum Sepulchri quadringentis argenti siclis emisse, in quo ipse Abraham, Isaac, & Iacob, & Adam Protoplastus sepulti: Itemque Iacob de Mesopotamia reversum, iuxta urbem Sichem, partem agri, quo tabernacula tenderet, ab Hemor patre Sichem datis centum agnis accepisse. Non emit ergo Abraham ab Hemor Sichimita, sed ab Ephron Hethæo, in quo duodecim patriarchæ non sunt sepulti, sed in Sichem. Verum beatus Stephanus vulgo loquens vulgi magis in dicendo sequitur opinionem. Duas enim pariter narrationes coniungens, non tam ordinem circumstantis historiæ, quam causam de qua agebatur intendit. Qui enim insimulabatur adversus locum Sanctum, & legem docuisse, pergat ostendere, quomodo Iesus Christus ex lege monstraretur esse promissus, & quod ipsi nec tunc Moyse, nec Domino nunc